

sequatur. Perturbatio tunc oritur, si discrepent soni et confundantur, vel calculi concurrentes semper nunc ita repente varient, ut uniri ac componi iam minime possint. Paucis: sole et luna ad imperium *Iosue* quiescentibus, quiescebant simul et cetera astra: progressis iterum, et illa resumpserunt intermissum cursum.

OPPON. VI. Iuxta optimos quosque astronomos et philosophos, non sol terram, sed terra solem circumit: ergo *Iosue* non solem sed terram alloqui et sistere debuisset. R. Tametsi terra reapse circa solem moveri ponatur, ut copernicani volunt; tamen *Iosue* coram rudi exercitu inepte dixisset: *Sta terra*, sed recte dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis*. Ipsi enim astronomi hodierni, utut systema terrae motae ex animo amplectantur, tamen non modo in sermone vulgari, sed etiam in tabulis et ephemeridibus suis utuntur his et similibus loquendi formulis: *Sol oritur, occidit, meridianum attingit, declinat ad boream vel austram* etc., ut nimirum communi hominum usui sese accommodent, receptasque loquendi formulas non deserant. *Quanto igitur minus*, ait *Keplerus* celeberrimus mathematicus (1), *exigendum erit a Scripturis divinitus inspiratis, ut repudiata vulgari loquendi consuetudine, verba sua ad scientiae naturalis amussim adpendant, abstrusis et importunis locutionibus, de rebus ultra captum erudiendorum, populum Dei simplicem perturbent, eaque re viam ipsis ad scopum suum longe sublimiorem intersepant.*

Neque DICAS cum *Clerico*, quod *Iosue* ne quidem in sensu vulgi poterit dicere: *Sol contra Gabaon ne movearis*, quia sol in eo iam erat

(1) In epist. astron. ad fin. l. 1.

(2) Commentar. in *Iosue* c. 10, v. 12.

ut occideret. Nam R. *Iosue* praelium inierat mane diei eius, hostes fugarat, et fugientes itinere aliquot horarum insecutus erat a *Gabaone* ad usque *Bethhoron*. Tum autem sol, ut habet v. 13, *erat in medio coeli*, id est, medium cursus sui peregerat, seu non multum ultra meridiem processerat. Igitur *Iosue* hostes ad interneconem deleturus, cum maximam eorum partem adhuc superesse videret, prolongari diem volebat. Stabat autem ad occidentalem plagam *Gabaonis*, et facie retro ad urbem conversa dixit: *Sol contra Gabaon ne movearis*, h. e. ne contra *Gabaon* in occasum vergas. Vide *Calmet* (2). Sed

INQUIES: Si terra ad imperium *Iosue* subito stetit, in tanta rapiditate motus propter subitam quietem omnes milites debuissent humi affligi. R. I. Haec obiectio in systemate tychonico terrae quiescentis cessat, ut patet. R. II. Etiam in systemate copernicano terrae motae circa solem facilis est responsio. Nam imprimis opus non erat, ut terra (quemadmodum obiectio supponit) uno velut momento punctoque temporis sisteretur, aut post quietem subito iterum moveri inciperet. Dein, etsi hoc uno velut momento fuisset factum, potuit Deus eadem facilitate, qua fecit stare solem, etiam impedire prolapsionem militum. Hoc enim erat quasi complementum grandis illius miraculi, quo sol ad imperium *Iosue* stetit.

OPPON. VII. Historia haec tota de statione solis et lunae ad imperium *Iosue* ex libro, quem vocant *iustorum*, eoque poetico desumpta est, libroque *Iosue* inserta; ut patet ex illis verbis Scripturae (3): *Nonne scriptum est hoc in libro iustorum?* Solemne est autem poetis elato et

(3) *Iosue* c. 10, v. 15.

hyperbolico stylo loqui. Quare eius libri seu carminis auctor turgenti hac phrasi, *Steteruntque sol et luna*, dumtaxat designare voluit, utrumque illud astrum segnius in occasum ruere ea die visum esse, sive quod radii utriusque syderis insueta quadam refractione diutius super horizonte emicuerint, etiam post solis occasum, uti apud lappones contingit, ubi perpetua dies in solstitio aestivo datur, quamquam aliquin sol in occidentem demergitur, sive quod divina virtute, seu angelorum ministerio factum esset, ut micanti aliquo phaenomeno solis et lunae defectus suppleretur. Ita *Clericus*, cuius hac de re opinionem iam supra in probatione assertionis nostrae confutavimus, quique commento putidissimo velut certum assumit, quod erat maxime probandum, scilicet auctorem *Libri iustorum*

(1) Quis sit *Liber iustorum*, *Iosue*, c. 10, v. 15, citatus, variae variorum sunt opiniones, quas *Sixtus Senensis* in catalogo sacrorum librorum, *Andreas Masius*, *Serarius* et *Calmet*, commentar. in cit. loc. lib. *Iosue* accurate recensent. Probabilior opinio est, quod hebraei veteres in ipsis reipublicae suae primordiis summa cura in annales retulerint, quidquid eorum nationi memoria dignum contingeret; haec autem monumenta in tabernaculo servabantur, vel in templo, atque *Liber iustorum* vel *iusti*, seu *recti* (ut in hebraico et arabico textu legitur) appellabantur; quia de recto et aequo tractant, h. e. in iustis, aequisque rebus docent de summis Dei erga homines beneficiis, et de horum erga illum officiis et caeremoniis: vel etiam, quia recta et optima fide atque serie res apud Dei coetum gestas enarrant, aut quia israelitici populi facta continebant, quem populum *ישכרון* *Ieschuron*, h. e. *rectum* tum *Moses* Deut. c. 52, v. 13, tum *Isaias* c. 44, v. 2, vocarunt. Porro nonnulli putant *librum bellorum Domini*, qui Num. 24, v. 4, citatur, eundem esse ac *librum iustorum*, vel hunc illius esse partem, quod satis est probabile, quamquam perspicue satis id nequeat demonstrari. Nemo vero miretur, illiusmodi annales seu libros iam nullos superesse.

rum, dum de statione solis et lunae ad imperium *Iosue* loquitur, voluisse duntaxat hyperbolice et poetice loqui. Nemo hunc librum inspexit; mentio illius non nisi hoc loco, et libro II. Reg. cap. 1, v. 18 occurrit. Videtur esse (1) commentarius rerum memorabilium ab hebraeis gestarum, stylo sublimi, vel etiam versibus ligato magnam partem ornatus, sed non ideo falsa, aut hyperbolice dicta de statione solis et lunae continens. Multa enim in Scripturis sacris, poetice, vel per modum carminis originaliter scripta sunt, quin ideo solum hyperbolice dicta contineant; ut patet ex variis canticis e. g. *Moyse* (2), *Deborae* et *Barac* (3), *Iudith* (4) etc., in quibus mirabilis per mare rubrum transitus, occisio *Sisarae* et *Holofernis*, et similia non sensu hyperbolico, sed stricto et literaliter scripta et intelligenda sunt.

Postquam enim historia sacra, ut nunc habetur, ex illis annalibus sive per *Esdras*, sive per alios scriptores hagiographos seu divinitus inspiratos extracta fuit, levior visa est illorum iactura. Et quis nescit, qui modo Regum historiam et paralipomena vel oscitanter legit, quam multa alia sacrarum rerum scripta monumenta interierint? Talia sunt *liber sermonum dierum Iuda*; III. Reg. c. 14, v. 19, *liber verborum dierum regum Israel*; ibidem v. 29; *liber verborum dierum Salomonis*, III. Reg. c. 11, v. 41; *liber Samuelis videntis*, I. Paral. c. 29, v. 29; *liber Nathan prophetae*, ibidem; *liber Gad videntis*, ibid.; *liber Ahiae Silonitis*. II. Paral. c. 9, v. 29; *liber Semeiae prophetae*. II. Paral. c. 12, v. 15, et plura alia, quae non amplius extant saltem integra, vel non sub illis nominibus, sub quibus in sacris literis citantur. Denique quae nam horum scriptorum amissionis seu iacturae fuerit causa, an quod gens perverca iudaeorum tam saepe ob sua scelera solum vertere coacta est, an vero divino consilio acciderit, non est praesentis loci disputare.

(2) Exod. c. 15, v. 1, etc.

(3) Iud. c. 5, v. 1, etc.

(4) Iudith c. 16, v. 1, etc.

5. QUÆRES V. *Quomodo conciliantur verba Iosue cap. II, v. 21 et 22: IOSUE INTERFECIT ENACIM... NON RELIQUIT UNUM DE STIRPE ENACIM; cum verbis Iudic. cap. I, v. 20 ubi dicitur: CALEB DELEVIT EX HEBRON TRES FILIOS ENAC. Si Iosue iam omnes de stirpe Enacim interfecit, quomodo potuit Caleb eorum aliquos delere?* R. Iosue quidem interfecit Enacim, nec uni de hac stirpe pepercit, quos videlicet invenit in civitatibus a se captis. Verum quia ipse non omnes civitates cepit, ut Geth, Gazam, et Azotum, haud mirandum, quod Caleb quosdam residuos filios Enac postmodum deleverit. Res nimirum, ut Masius ait, ita contigit: Filii Enac seu gigantes a Iosue (1) partim caesi, partim pulsati sunt ex Hebron, Dabir, et Anab, cum ipse illas urbes victor percurreret. Pulsati vero ac profugi, qui scilicet Iosue manus evaserunt, sese recepere in Gazam, Geth, et Azotum, quae erant urbes philistinorum. Unde post mortem Iosue, viribus resumptis, maiorum suorum sedes, scilicet Hebron, Dabir et Anab recuperarunt, rursusque occuparunt, donec tandem a Caleb et Othaniele funditus fuere deleti. Vide Cornelium a Lap. (2).

6. QUÆRES VI. *Quomodo liber Iosue secum ipso concordet, dum urbem Ierusalem modo tribui Benjamin (3), modo tribui Iuda (4) assignat?* R. Ista optime sibi concordant. Nam tribus Iuda et Benia-

(1) Iosue c. 11, v. 21 et 22.

(2) Commentar. in Iosue, c. 11, v. 21.

(3) Iosue c. 18, v. 28: Et Sela, Eleph, et Iebus, quae est Ierusalem. — Haec est possessio filiorum Benjamin iuxta familias suas.

(4) Iosue c. 15, v. 1 et 8: Igitur sors filiorum Iudae per cognationes suas ista fuit — ascenditque per convallem filii Ennon ex latere Iebusaei ad meridiem, haec est Ierusalem. Similiter psalm. 77, v. 68, mons

min secundum Terrae sanctae partitionem sese contingebant, et urbem Ierusalem dividebat ea linea, quae tribum Iuda et Benjamin separabat, sicque Hierosolyma ad utramque hanc tribum spectabat. Superior quidem huius urbis pars, continens montem Sion ad tribum Iuda; pars autem inferior cum interiacente monte Moria, in quo templum positum erat, ad tribum Benjamin pertinebat. Unde haec urbs in s. Scriptura modo uni, modo alteri ex duabus illis tribubus attribuitur (5).

Neque DICAS: Deus subinde in Scripturis dicitur habitasse, templumque fuisse in monte Sion: ergo falsum est, quod templum non in monte Sion seu parte urbis superiore, sed in monte Moria seu parte eiusdem inferiore collocatum fuerit. Nam R. Ideo Deus in monte Sion habitasse, vel Templum in eo fuisse dicitur, quia non raro mons Sion pro tota urbe hierosolymitana per figuram synechdoches sumitur, vel etiam, quia coaequata a Salomone voragine Mello (6), quae inter montem Sion, et montem Moria interiacebat, uterque hic mons videri unus mons, et qui maior erat (videlicet mons Sion) alteri communicare nomen suum potuit (7).

7. QUÆRES VII. *Quomodo verba Iosue cap. II, v. 8, 19 et 23: ITA PERCUSSIT (IOSUE) OMNES, UT NULLAS EX EIS DIMITTERET RELIQUIAS... OMNES CIVITATES BELLANDO CEPIT... CEPIT*

Sion, qui erat pars Hierosolymae, attribui Iuda his verbis: Sed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.

(5) Vide Tirinum commentar in Deuter. c. 33, v. 13; et Iosue c. 18, v. 28.

(6) Vide interpretes s. Scripturae comment. in III. Reg. c. 9, v. 13.

(7) Vide Bonfrerium comment. in Deut. c. 33, v. 12; Lyranum in Genes. c. 28; Calmeti Diction. biblic. v. Mello.

IOSUE OMNEM TERRAM, SICUT LOCUTUS EST DOMINUS AD MOYSEN, QUIEVITQUE TERRA A PRAELIIS; concordent cum cap. 17, v. 12 et cap. 18, v. 2, quibus plurimos adhuc chanaanæos, urbes et arces expugnandas superfuisse perhibetur? R. Iosue percussit omnes, qui nempe ipsi resistebant, omnesque civitates expugnavit, quas scilicet bellando adiit, ac omnem terram cepit, sed quoad eas partes solum, quas suis victoriis pertransiit. Ita s. Aug. (1), et Corn. a Lap. (2).

8. QUÆRES VIII. *Quomodo Iosue israelitas in Sichem congregatos potuerit sistere in conspectu Domini, et ponere lapidem in Sanctuario Domini (Iosue 24, v. 1 et 26); cum Sanctuarium et arca tunc (Iosue 18, v. 1), non fuerint in Sichem, sed in Silo? R. Iosue tunc arcam ex Silo transferri fecit in Sichem, ut coram ea foedus populi israelitici*

cum Deo sanciret. Causa autem, cur Iosue in Sichem potius, quam in Silo hoc foedus renovaverit, fuit, quod Deus per Moysen (3) iusserat in Sichem in monte Hebal (4) sanciri dictum foedus, repetique primum foedus initum in Sina (5). Atque hoc mandatum divinum Iosue iam executus erat cap. 8, v. 30. Sed cap. 24 paulo ante mortem suam idem foedus instaurat. Voluit nimirum Iosue ad exemplum magistri sui Moysis (6) legis et foederis cum Deo repetitione suis israelitis ultimum vale dicere: idque in Sichem, ut ubi Abraham Chanaanæam ingrediens primum Deo sacrificium obtulit (7), et haeres huius regionis a Deo designatus est (8), ibi posterius eius, haereditate hac iam adita, in Dei legem solemniter iurarent, ibique aeternum religionis et iuramenti sui haberent monumentum (9).

SECTIO II.

DE LIBRO IUDICUM

Liber hic hebraice שופטים *Sophetim* i. e. *Iudicum* inscribitur. Quia qui eo tempore apud israelitas rempublicam gubernarunt, *Iudices* vocabantur; eorumque hic gesta a morte Iosue usque ad Heli et Samuelem capitibus 21 recensentur. Auctor libri est incertus. Sunt, qui non unum scriptorem huius libri esse putent, sed plures. Singulos enim iudices vel eorum scribas, quae cuiusque iudicis temporibus accidissent, in commentarios retulisse

existimant. Sed verisimilius est, *Esdram*, vel potius *Samuelem*, aut alium scriptorem sacrum praedicta antiqua iudicum diaria et annales collegisse, et in hunc librum scribendo redegisse.

9. QUÆRES I. *Quid nomine IUDICUM hoc in libro intelligatur? R. Quid iudex sit, nemini, qui latinam linguam callet, ignotum. Sed quia non generatim hic, quid nomine Iudicis intelligatur, sed definite quoniam hoc in libro sint, quaeritur;*

(1) Quaest. 17 in librum Iosue.

(2) Commentar. in Iosue c. 12, v. 23.

(3) Deut. c. 17, v. 4.

(4) Mons Hebal erat prope urbem Sichem, e regione montis Garizim.

(5) Exodi cap. 19.

(6) In toto Deuteronomio, maxime cap. 32.

(7) Genes. c. 12, v. 6 et 7.

(8) Ibidem v. 7.

(9) Vide Cornel. a Lapide comment. in Iosue c. 24, v. 1 et 26.